

etiam mensis *Ramadan* nominetur, necesse est, Coronationem Timur-Begi factam esse Anno 1370 vere. Totus enim fere mensis *Ramadan* Anni Hegiræ 771. cadit in mensem Aprilem Anni Christi 1370. cui in cyclo Tartarico Annus *Canis*, sive undecimus Cycli, respondere debet.

Aliud Exemplum dabimus, ex eodem libro pag. 260. *Initio Veris Anni Hegiræ 777, qui respondebat anno Crocodili*, Timur-Bec cum exercitu suo versus *Carezem* sive Chorasmiam movit. In margine appositus est annus Christi 1375. Hoc rursus neque cum tabella neque cum veritate convenit. Cum enim Annus Hegiræ 777. initium ceperit Anno 1375. initio mensis Junii, vernum tempus anni Hegiræ 777. in annum Christianum sequentem cadit, scilicet in annum 1376. cui ex mea sententia *Crocodilus* respondet, id est quintus annus Cycli.

Exemplum notabilius addam, ex quo apparet, annos Tartaricos & Arabicos diversa initia habuisse. Pag. 299. ejusdem libri exstat, Timur-Begum rursus intrasse Regnum *Carezem*, mense *Chawal*, anni Hegiræ 780, cui respondit initium anni *Ovis*, versus tempus quo Sol intravit signum *Piscium*. Ad marginem notatus est Annus Christi 1378. Sed anni Hegiræ 780. initium fuit Anno Christi 1378. Die 29. Aprilis; ergo primus Dies mensis *Chawal* cadit in D. 20. Januarii Anni 1379. ita ut maxima pars mensis *Chawal* cadat in mensem Februarium, quo Sol intrat in Signum *Piscium*. Fuit hoc initium anni *Ovis*, quod cum mea supputatione exactè convenit. Et hoc simul est argumentum, confirmans, Tartaros eodem tempore annos suos incepisse, quo Sinenses, scilicet, Sole existente circa medium Aquarii.

P. 306. refertur de Timur-Bego, occupatum ab eo Regnum *Carezem* Anno *Ovis*, qui erat Annus Hegiræ 781. In margine exstat A. Chr. 1379. Hic annus *Ovis* refertur ad annum 781. qui supra referebatur ad annum 780. Sed utrumque est verum. Annus enim 781. Hegiræ initium cepit mense Aprili anni Christi 1379. cui respondet annus *Ovis*. Cum itaque *Timur* versus *Carezem* proficisceretur, erat initium anni *Ovis*, hoc antecedebat initium anni Hegiræ 781. Occupavit deinde Timur hoc regnum eodem anno, sed cum secundum Arabes & Mahomedanos jam numeraretur Annus 781. Hegiræ.

Rursus p. 307. dicitur: *Sub finem anni 781. qui refertur ad annum Simiæ &c.* Anni 781. finis cadit in Annum Christi 1380, & quidem circa initium Aprilis, & ideo recte ad annum *Simiæ* refertur.

Plu-